



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia Catholica, Hoc Est Christianae Fidei, Qvam Ad
Salvtem Animarvm Aviti Avgvstae Domvs Saxonicae
Principes, Reges, & Imperatores coluerunt, Gloriosa
Confessio**

Cutsemius, Petrus

Coloniae Agrippinae, 1621

De Lvdolpho, Primo Marchione Tvringiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11884

 DE BRVNONE, EPISCOPO
 AVGVSTANO.

HABVIT S. Henricus fratrem vnicum, nomine Brunonem, qui & ipse Catholicae Religionis veritatem, & doctrinam posteris Saxonie Principes ex professo docere posset, quippe qui Pastor fuit, & Episcopus Ecclesie & Ciuitatis Augustane, in qua templum S. Mauritij sumptibus fratris Imperatoris fertur extruxisse, in quo ipse honorifice tumulatus requiescit. Sorores vero habuit quatuor, quarum duae se vouerunt in statu Ecclesiastico Deo, Gerbirga Abbatissa Chimentis, & Sophia Abbatissa Padebornensis; duae aliae Sacramento Matrimonij copulatae; Gisala (de qua supra dictum est) S. Stephano Regi Hungariae, cui enixa est S. Emmericum, virginali castitate celebrem; & Hedvvisis, Lutberto, Burggrauiio Magdeburgensi, nupsit.

 DE LVDOLPHO, PRIMO
 MARCHIONE TVRINGIAE.

VERBO etiam aliquid dicere liceat de Ludolpho, Brunonis II. filio, & Brunonis I. qui Marchionum Saxoniae, & Thuringiae progenitor, & S. Henrici Patruus fuit,
 nepo-

nepote. Fuit is quidem Princeps laicus, sed tamen in religione Catholica feruētissimus, quippe qui positis relictisq; pietatis suæ monumentis, optimè coram posteris testari potest de vera fide ad salutem. Tres construxit Brunsvigæ, cuius Dynasta fuit, Ecclesias, vnam SS. Apostolorum Petri & Pauli; alteram B. Magni; tertiam S. Gothardi, in quas ferè omnes suas facultates expendit. Thuringiam ab Imp. Conrado II. vitrico suo adeptus est in præmium nauatæ operæ contra ipsius hostes, Hungaros, Polonos, & Bohemos. Sepultus Mersburgi Anno 1074. in pace requiescit.

DE HERMANNO,
Archiepiscopo Coloniensi.

EX eadem etiam prodit familia Herman-
nus, hoc nomine III. Archiepiscopus
Coloniensis, dictus *Diues*, supradicti Bruno-
nis I. ex secundogenito filio Sigfrido, comite
Northeimio Atnepos. Sanè nec ipse aliam
coluit, neque nos docuit Religionem, quam
Catholicam Romanam, hoc est, Romæ à SS.
Apostolis, Petro, & Paulo traditam, & ad fi-
nem sæculi vsque depositam, idque magnâ
cum diligentia, & prosperitate, quod El.
Reufnerus ex Lutheranis ipse fateri cogitur,
dum